

Phoenix Arabiae auis, dicta quod colorem phoeniceum habeat, uel quod sit in toto orbe singularis et unica. Nam Arabes singularem "phoenicem" uocant.

Haec quingentis ultra annis uiuens, dum se uiderit senuisse, collectis aromatum uirgulis, rogum sibi instruit, et conuersa ad radium solis alarum plausu uoluntarium sibi incendium nutrit, sic que iterum de cineribus suis resurgit.

Cinnamolgus et ipsa Arabiae auis, proinde ita uocata quod in excelsis nemoribus textit nidos ex fruticibus cinnami: et quoniam non possunt ibi homines conscendere propter ramorum altitudinem et fragilitatem, eosdem nidos plumbatis appetunt iaculis, ac sic cinnama illa deponunt, et pretiis amplioribus uendunt; [eo] quod cinnamum magis quam alia mercatores probent.

Psittacus Indiae litoribus gignitur, colore uiridi, torque puniceo, grandi lingua et ceteris auibus latiore. Vnde et articulata uerba exprimit, ita ut si eam non uideris, hominem loqui putes. Ex natura autem salutat dicens: "haue", uel χαῖρε. Cetera nomina institutione discit.

Hinc est illud: Psittacus a uobis aliorum nomina discam; hoc didici per me dicere: "Caesar haue".

Alcyon pelagi uolucris dicta, quasi ales oceanea, eo quod hieme in stagnis oceani nidos facit pullos que educit: qua excubante fertur extento aequore pelagus silentibus uentis continua septem dierum tranquillitate mitescere, et eius fetibus educandis obsequium ipsa rerum natura praebere.

Pelicanus auis Aegyptia habitans in solitudine Nili fluminis, unde et nomen sumpsit; nam Canopos Aegyptus dicitur. Fertur, si uerum sit, eam occidere natos suos, eos

que per triduum lugere, deinde se ipsam uulnerare et aspersione sui sanguinis uiuificare filios.

Stymphalidae aues ab Stymphadibus insulis appellatae, ubi plurimum abundant; aduersus quas Hercules sagittis est usus. Sunt enim pelagi uolucres in insulis habitantes.

Diomedias aues a sociis Diomedis appellatas, quos ferunt fabulae in easdem uolucres fuisse conuersos; forma fulicae similes, magnitudine cygnorum, colore candido, duris et grandibus rostris. Sunt autem circa Apuliam in insula Diomedia inter scopulos litorum et saxa uolitantes; iudicant inter suos et aduenas. Nam si Graecus est, propius accedunt et blandiunt; si alienigena, morsu inpugnant et uulnerant, lacrimosis quasi uocibus dolentes uel suam mutationem uel regis interitum. Nam Diomedes ab Illyriis interemptus est. Haec autem aues Latine Diomediae uocantur, Graeci eas ἐρωδιούς dicunt.

Memnonides aues Aegyptiae appellatae a loco, ubi Memnon periit. Nam cateruatim aduolare dicuntur ex Aegypto ad Ilium iuxta Memnonis sepulchrum, et proinde eas Ilienses Memnonias uocant. Quinto autem anno ad Ilium ueniunt, et cum biduo circumuolauerint, tertia die ineuntes pugnam uicissim se unguibus rostris que dilacerant.

Hercyniae aues dictae ab Hercynio saltu Germaniae, ubi nascuntur, quarum pinnae adeo per obscurum emicant ut quamuis nox obtenta densis tenebris sit, ad praesidium itineris dirigendi praeiactae interluceant, cursus que uiae pateat indicio plumarum fulgentium.

Onocrotalon Graeci uocant rostro longo. [Quorum duo genera sunt: aliud aquatile, aliud solitudinis].

Ibis auis Nili fluminis, quae semetipsam purgat, rostro in anum aquam fundens. Haec serpentium oua uescitur, gratissimam ex eis escam nidis suis deportans.

Meropes eosdem que et gaulos, qui parentes suos recondere atque alere dicuntur.

Coredulus genus uolatile, quasi cor edens.

Monedula auis, quasi monetula, quae dum aurum inuenit, aufert et occultat.

Cicero pro Valerio Flacco:

"Non plus aurum tibi quam monedulae committendum".

Vespertilio pro tempore nomen accepit, eo quod lucem fugiens crepusculo uespertino circumuolet praecipiti motu acta, et tenuissimis brachiorum membris suspensa; animal murium simile, non tam uoce resonans quam stridore; specie quoque uolatilis simul et quadrupes, quod in aliis auibus reperiri non solet.